



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. XXXV. Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes, &c. Carm.  
gen. 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Et nomen etiam oblitterat.

Iustum inuocantem Dominus audit, omnibus  
Eum expedit periculis.

Quum spes labores deserit mortalium,  
Afflicta quum molestijs

Succumbit oneri mens, Deus præsens adest,  
Malasq; curas diluit.

Iustis labores suggerit semper pijs  
Iniqua fors conatibus:

Sed qui bonorum semper est custos Deus,  
Sortis retundit spicula,

Et ossa seruat ne terantur. impios  
Vlciscitur scelus suum.

Et quisquis hostis est piorum, cum domo  
A stirpe cæsus interit.

Animas tuctur se colentium Deus,  
Nec rem domumq; deserit.

PSAL. XXXV. *Iudica Domine nocentes  
me: expugna impugnantes, &c.*

*Carm. gen. 11.*

**R**erum sancte opifex ades,  
Et patrocínio protege me tuo:

Et retro refer in meos

Hostes perniciem, quam mihi comparant.

Scutum cum iaculis cape:

Ensem stringe: meis hostibus obuiam

Prodi: dic animæ meæ,

Secura auxilio nil metuas meo.

In uultus pudor hostium

Et turpis subeat dedecoris rubor:

Fœdam

Fœdam corripiant fugam  
 Cæcas insidias qui mihi p reparant.  
 Ut sæuus Boreas leuem  
 Raptat præcipiti turbine puluerem:  
 Sic illos trepida fuga  
 Vindex præcipites urgeat Angelus:  
 Et formidine pallida  
 Vindex præcipites comprimat Angelus:  
 Sit cœno uia lubrica.  
 Et cælum tenebris lurida nox tegat.  
 Nam me fraude mala suis  
 Conati immeritum prendere cassibus,  
 Et cæcam innocuo scrobem  
 Effodere, suis cassibus hæreant:  
 Et factam exitium in meum  
 Cæci & præcipites in foueam ruant.  
 Perfusa interea mihi  
 Dulci lætitia pectora gestient.  
 Mens secura periculi  
 Auctorem Dominum lætitiæ colet:  
 Et sensus animi indices  
 Clamabunt, Domino quis similis Deo?  
 Qui fastus grauis improba  
 Defendit tenues à uiolentia:  
 Vexantemq; opis indigos  
 Frangit sæuitiam uindice dextera  
 Coniurata calumnia  
 In me criminibus sæuit atrocibus:  
 Ignotum scelus in meam  
 Fingunt perniciem: quæ bene feceram,  
 Compensant odijs malis,

Et

Et uitæ inuigilant exitio meæ.  
Illos tabificæ luis  
Aegris uisceribus quum dolor ureret,  
Squalens ueste ego lugubri,  
Ieiunaq; fame pallidus & siti,  
Et prostratus humi, Deum  
Lenibam lacrymis & prece supplice.  
Sic sincerus amici amor  
Sub chari interitum luget amiculi:  
Sic fratrem gemit unicum  
Frater: sic pietas anxia filij  
Maternum ad tumulum dolet.  
Me fortuna graui si tetigit manu,  
Concurfant, mala gaudia  
Inter se celebrant: fæx populi coit:  
Incauto inuidiam creant:  
Proscinduntq; auida me petulantia  
Scurræ cum balatronibus.  
Dentem dente acuunt, & rabiem uomunt.  
Quem finem patientia  
Tam lentæ statues ô pater optime?  
Arce hoc ludibrium, neque  
Desertum rabies trade leonibus,  
Acceptum ut referam tibi  
Quòd uiuo, & uideo lumen amabile:  
Et cœtu in celebri canam  
Te, pronum auxilium ferre uocantibus.  
Fac ne spes alat improbas  
Semper turba meis læta molestijs:  
Neu nutu ac oculis notet,  
Exulterq; meis hostis atrox malis:

Qui

Qui sermonibus asperis  
 Insultat, trucibusq; insidijs petit  
 Pacatum malè callidus,  
 Incautum ut tacitis illaqueet dolis.  
 Non diducere desinunt  
 Rictum risu: Oculis (euge) oculis diem  
 Lætum uidimus, inquit.  
 O qui luminibus cuncta tuentibus  
 Terras respicis, hæc uides?  
 Ergo seposita protege me mora:  
 Iam tandem euigila, & manu  
 Vltrice indomitam frange superbiam:  
 Iusto & supplicio preme,  
 Vindex iuste malos. neu sine de meo  
 Luctu lætitiã ferant:  
 Neu secum tacito pectore murmurent,  
 Euax, rectè habet: omnia  
 Supra uota cadunt: uicimus, en iacet.  
 Fœda ignominia luant  
 Stultam lætitiã. dedecoris comes  
 Infamis pudor eluat  
 Importuna meis gaudia de malis:  
 At cordi quibus æquitas  
 Est nostra, ac animus nil sibi conscius,  
 Vitam tristitia procul  
 Lætã semper agant: ac Dominum ferant  
 Cæli ad sidera laudibus,  
 Qui curis famulos liberat anxij.  
 Semper iustitiã mea  
 Custos sancte hominum lingua canet tuam,  
 Et præconia, dum mihi  
 Impellet calidus pectora spiritus.

PSAL.